

1871

De tragicae Musae natura.

---

*Scriptis*

**Dr. Guilelmus Suero,**

gymnasii professor.

---

Altera pars.

**De Sophocleae imprimis Musae arte atque praestantia.**

---

## Index rerum.

---

- Quae Sophocleae aetatis ad dignitatem et suavitatem tragoediae vis fuerit, ostenditur. §. 10. (§. 137.)  
Praemittuntur Sophoclis in externam tragoediae conformationem merita. §. 11. (§. 138.)  
Chorus tragicus quid sibi velit, quum in tragoedia omnino, tum apud Sophoclem, quaque ille apud eundem virtute ac praestantia fuerit, docetur. §. 12. (§. 139.)  
Quanam arte usus sit poeta in describendis personarum moribus, docetur; idque tum exemplis illustratur additis, tum comparatione instituta cum Aeschyli et Euripidis fabulis. §. 13. (§. 140.)  
Compositionis quoque ars, quae cernitur in actione rerum ejusque contentione ad sublimitatem cum metu et commiseratione, ex fati necessitate ingruente oriundis, disponenda, tanta fuit in Sophocle, quantam nullus Graecorum poeta tragicus unquam aequavit. §. 14. (§. 141.)  
Actionis implicandae et explicandae varietas a Sophocle ex novis rerum conversionibus (*περιπέτειαι*) petita, quibus animi ad extremam, quae dicitur, *καταστροφήν* praeparantur. Summa ejus generis ars in Electra maxime et Oedipo Rege. §. 15. (§. 142.)  
Illae rerum conversiones, spectant primum ad commiserationem in heroes movendam, quae tamen a poeta temperatur admiratione fortitudinis et constantiae, nullis malis plane superandae, nota simul impressa veritatis, sinceritatis, magnitudinis. Exempla illustrissima Philoctetis, Oedipi, Herculis. §. 16. (§. 143.)  
Sed cumulat non solum ille affectus procedente actione, novis scilicet additis calamitatibus ac doloribus, verum etiam mutantur inter se affectus et opponuntur, id quod illustratur exemplis Philoctetis, Jocastae, Deianirae, Ajacis. Summum vero eo nomine fastigium artis tragicae inesse in Electra fabula, docetur. §. 17. (§. 144.)  
Tragica tristitia ita a poeta ad exitum usque servatur, ut, quum jam in primo fabularum introitu vestigia ejus lateant, veluti in Oedipo Rege, ita ne laetitiae quidem intervalla obscura quadam illius careant significatione, eoque augeant maxime animorum suspensionem. Exempla imprimis afferuntur Deianirae, Philoctetis, Electrae. §. 18. (§. 145.)  
Laudatur sapientissima Sophoclis inter Aeschyli severitatem et Euripidis levitatem moderatio; ad quam humanitas quoque spectat ejus in malis personarum moribus attemperandis; et quanquam ab ea virtute abhorre videtur Ajacis caedes in ipsa scena facta, in qua re aliter statuit Aeschylus, tamen domesticae vitae tenuitas ejusque miseriae a magno poeta absunt. In exitu denique fabularum ea admiranda est Sophoclis continentia, quae commovere quidem velit animos, sed eosdem erigere. §. 19. (§. 146.)  
Sophocles praestantissimus poetarum tragicorum loquendi quoque genere: ubertate, concinnitate, simplicitate. Abhorret docta ejus et vere poetica oratio tantumdem a tumore et obscuritate Aeschyli, quantum a mollitie et luxuria Euripidis; quoniam ad naturam apud eum omnia accommodata sunt locorum, temporum, personarum. Verumtamen non respuit illa honestam aliquam sublimitatem ac dignitatem, tamque plena est omni aequabilitatis et dulcedinis genere, ut poeta tunc merito apud attica diceretur. Lepos verborum autem nunquam ab eo quaesitus est, nisi ubi major persuadendi aut delectandi desiderabatur vis. Ajax prae ceteris eloquentiae atticae egregium exemplum. Metricae virtutes et rhythmorum cultus. §. 20. (§. 147.)
-

§. 10. (§. 137.)

Jam de proposito quum ad ipsam Sophocleae Musae naturam transeundum sit, et quaenam ejus in tragoediam merita, et quaenam ars fuerit tum in rerum compositione, tum in sermonis cultu, accuratius et copiosius explicandum videtur. Atque tragoediam, quis non videt, quum apud Aeschylum adolescentis instar sit, qui juvenili exardescens fervore cupiditatibus frenos injicere non possit, quin ultra aequabilitatis fines libere vagentur, in Sophoclis fabulis ad honestam viri dignitatem adspirare, quam ne vehementissimi quidem affectus minuere aut tollere possint. Brevissimo temporis spatio longam ars tragica viam confecerat, et in Thespidis plaustris vix enata jam paucis annis post ad splendidissimam diei lucemeducta est. Enimvero magna his annis literae omnes apud Graecos ceperunt incrementa, et prae ceteris divinae ejus sapientiae mirere progressus, quae Socratem habuit fautorem summum ac sospitatorem. Quae ipsa quum in animis hominum explorandis et cognoscendis maxime valeret, tragicam etiam Musam multa edocuit, quibus ars ejus tum rectius definiretur, tum ad illos ingenii humani progressus accommodaretur. Deinde etiam morum, ejus potissimum populi, qui efflorescentem vidit in gremio suo tragoediam, quae commutatio et quanta conversio! Aeschyli igitur fabulae quum Atheniensium, qualis ea aetate vitae ratio ingenique cultus apud eos erat, talem quidem imaginem, quamvis paululum amplificatam, referrent, Sophocles non minus accurate suae aetatis indolem expressisse putandus est. Quamvis enim aequales fere essent illi duo poëtae, pauci tamen anni viginti vel triginta, qui tunc interjecti erant, multum fecerunt ad rerum publicarum statum mutandum, id quod docebitur, quisquis vel leviter Sophoclis dramata inspexerit. Florentissima nimirum hujus poëtae aetas in illud incidit tempus, quo rerum bello prospero gestarum fructus dulcissimos percipiebant Athenienses, atque Miltiadis, Themistoclis, Cimonis victorias intuentes et admirantes ad eam superbiam processerant, ut se omnibus Graeciae, imo totius orbis terrarum populis superiores rati, nihil non sibi in amicos inimicosve licere arbitrarentur, neque ullum pro parta virtute ac gloria certamen atque periculum sibi detrectandum putarent.

Quo citius vero praeter expectationem civitas Atheniensium ad summum illud opum auctoritatis, potentiae fastigium evecta est, eo major ejus rei vis pertinebat ad mores ingeniumque hominum, dumque omnes communi illa fortuna ac felicitate laeto animo gaudebant, pristina morum asperitate magis in dies exuta adeo superbiam suam comitate et humanitate temperabant, ut urbs eorum mox pro parente atque altrice earum haberetur virtutum, quibus omnis cultus humanus continetur. Atque hanc ipsam aetatem, qua invicta animi in periculis subeundis fortitudo cum delicatulo elegantique vitae usu voluptatumque lenociniis, tanquam artissimo et pulcherrimo vinculo, connexa erat, eandem recte habebis, quae Sophoclis ingenium ostendebat sua maturitate praestantissimum. Nam Periclis ea aetas erat, quum omnibus, quae liberam decent rem publicam, virtutibus clarissima, tum

illa magnitudinis cum suavitate, dignitatis cum gratia amoenissima conjunctione; utque artium legibus, licet nondum conscriptis, tacito tamen hominum consensu constitutis, ingenia jam facilius obtemperabant, ita etiam accidit, quod summum erat, et in artium cultu maxime necessarium, ut ea, quae ab ingenis producerentur, tanquam suavissimo concentu cum iis conspirarent, quibus sensus hominum communis, expolitus quam maxime illo tempore, delectabatur. Hunc vero sensum Sophocles in operibus suis tam diligenter et exquisite expressit, pulcri scilicet venustique notitia ex ipsis hominum moribus delibata, id quidem tot tantasque omnium temporum laudes ei concillavit, ut, singulas ejus virtutes persequendo, quibus tragoediam suam et aequalibus et posteris adeo probaverit, maxime omnino operae pretium facturi videamur.

§. 11. (§. 138.)

Sed illud ipsum, quomodo Sophocles ad summam perfectionem tragoediam perduxerit, antequam cognoscamus, quid ille de externa tragoediae conformatione bene meritus sit, Aeschylus sequutus exemplum, videtur explicandum. In qua re habemus optimum auctorem biographum illum ignotum, qui in vita Sophoclis dux nobis fuit. „Multa nova, inquit ille, Sophocles in tragoediae institutione excogitavit. Imprimis vero chori personas ad quindecim auxit, tertiumque induxit actorem (*τριταγωνιστήν*). Satyrus etiam eum *τὴν καμπύλην βακτηρίαν* invenisse ait, Istrus vero, caligas ab eo albas quasdam tragoediae additas fuisse, quibus et histriones ipsi et chori personae induerentur.“ Quod in hac narratione gravissimum est, Sophoclem tres fecisse histriones in scena colloquentes, id et Aristoteles in arte sua poet. cap. 4 confirmat, et Diogenes Laertius in eo loco, ubi philosophiam cum tragoedia comparat. Quae res quomodo se habuerit, quo melius intelligatur, iterum in animum nonnulla revocanda sunt, quae supra jam passim exposita habes. Primum interlocutorem, rem aliquam mythicam vel heroicam dramatice enarrantem, Thespis induxerat, eo fortasse consilio, ut Chorus ex Bacchica illa contentione, in qua ab initio sola defixus erat, paululum respiraret. Diverbia vero primus instituit Aeschylus, secundum addens actorem. Duo igitur quum jam essent homines, per episodica inter se confabulantes, alteri, cujus potior ad actionem vis et potestas erat, *τοῦ πρωταγωνιστοῦ*, alteri, qui secundas easque inferiores agebat partes, *τοῦ δευτεραγωνιστοῦ* nomen tributum est. Neque vero id ipsum impediebat, quominus tres, pluresve personae actioni interessent; nam aut unum saepe actorem vel plurium partes sustinentem, aut plures etiam adstantes modo in scena, nec quidquam verborum facientes videmus; attamen plus duo simul inter se loquentes in scenam inducere moris nondum erat. Quod si qui reperiuntur Aeschylearum fabularum loci, qui repugnant, id aut ipsius patris tragoediae auctoritati, retractantis scilicet sua opera et imitantis Sophoclem, aut posterorum tantum curis secundis tribuendum est. Cf. §. 90. p. 66. Repugnant vero non omnes loci, qui repugnare videntur. Exemplum habes locum quandam Promethei, de quo ita Barnesius<sup>\*)</sup> disputat: „Nam licet Aeschylus in principio Promethei sui Robur et Vim et Prometheus et Vulcanum simul inducat, non ibi nisi duae tantum personae loquuntur, h. e. Robur et Vulcanus; nec enim Prometheus prius loqui incipit, quam caeteri illi, opere absoluto, abie-

\*) In Euripidis vita, editioni Barnesianae praefixa, p. XXXVI.

rint et prioris scenae finem fecerint.<sup>64</sup> Sed jam antiquorum non omnes quanquam de hac re videntur consensisse, id quod ex antiqua quadam Aeschyli vita, satis apparet, ubi Aeschylus disertis verbis tertium actorem induxisse commemoratur: id tamen extra omnem controversiam est, Sophoclem, ut qui in omnibus suis fabulis tertio usus sit actore, eoque episodiorum numerum multum auxerit, rectius ejus inventorem dici, quam qui in nonnullis tantum locis eum advocasse, neque ne communi quidem consensu, perhibeatur. Sed plura etiam afferuntur Sophoclis merita, praeter ea, quae ille vitae scriptor attingit. Theatri formam mutasse pleniorque *σκηνογραφίαν* invenisse dicitur, multa scenae ornamenta picturasque adjiciens, sed plura etiam removens mira et insolita, quae ad terrorem tantum incutiendum ab Aeschylō inventa erant, taediumque potius quam voluptatem spectatoribus crearent. Quod denique Suidas eum primum instituisse dicit, ut, quoties per *διδασκαλίης* sive commissiones esset dramatis de palma concertandum, non semper trilogiis, ut ante a Thespide usque, vel tetralogiis, sed singulis subinde tragoediis contra singulas certarent poëtae, id quidem non ita intelligendum est, quasi aut Sophocles ipse ex eo tempore aut caeteri cum eo et post eum tragici poëtae nunquam nisi singulis dramatis contendissent; nam multa trilogiarum et tetralogiarum insequentis aetatis exstant apud antiquos exempla; sed Sophocles, quum in Satyricis componendis haud multum valeret, rarius tetralogias edidisse putandus est, quippe qui non ita ignoraret ingenium suum, ut operam consumeret in ea re, in qua non excelleret; idque exemplum ejus plerique postea poëtae imitati sunt. Cf. §. 87. et §. 103.

§. 12. (§. 139.)

Sed haec omnia aut levioris sunt momenti, aut ambiguitatis notam habent impressam; multo pluris faciendum est id, quod restat, ut, quibus in compositione virtutibus palmam tragicæ artis tulerit Sophocles, ostendamus; quod quum ipsa nitatur operum ejus, quae exstant, contemplatione, nulli dubitationi hic locum relictum esse apparet. In nulla vero tragoediae parte magis antiqui poëtae elaborarunt, quam ex qua omnem tragicam artem profectam esse videbant, choro inquam, quem prout quisque aptissime instruxerat et cum actione ipsa conjunxerat, ita summorum in suo genere artificum loco habitus est. Idque Sophocles etiam secum reputans huic, quod vocare possis, lyrico atque ethico elemento singularem quandam tribuit operam ac diligentiam, librum quoque de eo ad docendos aequales conscribens, supra jam memoratum, illumque ita in omnibus suis fabulis instituit, ut recte et hic eum medium inter Aeschyleam luxuriam Euripideamque jejunitatem tenuisse dicendum sit. De hoc igitur choro quum primum nunc agere propositum sit, duplici quidem is nomine jam spectandus esse videtur, tum quatenus per se utilissima tragoediae antiquae pars existimari possit, tum quantam ille in artem a Sophocle sit conversus. Fabula antiqua ut cum sublimitatis sensu miserationem et timorem excitet, animosque hominum non tangat solum, sed iterum iterumque commoveat, actionis plura esse oportet momenta, quo contentionis iterari impetus, pluresque primariae personae casus et calamitates infligi possint. Quarum conversionum contemplatione diutius continuata verendum est, ne, quod post nimiam quamlibet virium intentionem fieri solet, defatigatus animus et remissus magna ex parte excitatam amittat commotionem, nisi in ipsa rerum in scena agendarum serie sit, ubi paullum requiescat. Deinde longiore contemplatione, magnis rebus propositis dum instare novae non cessant, caeque majores, facile accedit etiam, ut non satis fruamur

percepta pulcritudine neque in succum quasi et sanguinem eam vertere possimus. Quamobrem intermittenda est actio paululum, ita tamen, ut non rumpatur prorsus, ne alia scilicet aequae gravis fabulae scribendae lex violetur et vacante scena animus languescat; inserendum est igitur aliquid, quo intercedente animi in iis, quibus ex priori contemplatione impulsos se sentrent, affectibus diutius teneantur, paululumque quiescant ita, ut relictis deinde viribus ad relictam actionem reducantur. Cui acrioris contentionis remissioni quod subserviat vix quidquam melius unquam reperietur tragicorum poetarum choro, qui dum actorum commodis consulit, simulque laetatur cum iis ac dolet, eo ipso etiam spectatoribus suppeditat, quibus tum sensa eorum alantur, tum animi, nova percipiendo aurium oculorumque delinimenta, jucundissime relaxentur atque ad futuram dimicationem praeparentur. Atque in ipsis artis tragicae primordiis quum tota, ut vidimus, tragoedia, quippe a dithyrambo nondum sejuncta, choris et cantibus contineretur, Aeschylus eorum vim multum imminuit, magisque eos cum ipsa actione conjunxit. Neque tamen fieri potuit, ut apud eum dithyrambica natura tota illico evanesceret; immo chori cantica et nimis producebantur in ejus tragoediis, et magnificentum illud exhibebant inflatumque dicendi genus, quod lyrico magis furori, quam dramaticae tranquillitati conveniebat. Ars major igitur accederet, necesse erat, ut et actioni amplissimus daretur locus, in quem liberius, quam antea, excurrere et exspatiari posset, et chorus iis circumscriberetur finibus, quibus ad necessitatem vere dramaticam opus erat. Idque Sophocles, quum, quid ad artem summam in tragoedia gravissimum esset, quibusque id rationibus assequi posset, satis perspexisset, ita effecisse putandus est, ut dithyrambicae originis nulla amplius vestigia relinquerentur, nisi quae ipsa hujus poësis historia etiamnum suppeditat. Itaque factum est, ut de chori cantibus, ab Aeschylō jam admodum praecisis, plus etiam a Sophocle detraheretur, hique non acres illos atque vehementes affectus, quibus in Aeschylī fabulis animi excitantur, sed leniores sensus proderent. Nam calamitates illae, quas poëta inducit, non ipsum chorum attingunt, ut apud Aeschylum in Sept. ante Theb., Persis, Supplicibus, Eumenidibus fieri solet; neque ipse chorus terrore motus horrorem incutit spectatorum animis, sed amicitiae vinculo junctus cum prima potissimum fabulae persona, qua tangitur commiseratione, eam audientibus etiam et intuentibus inculcare studet. Cumque coram spectatoribus agat, personam tamen ipse spectatoris alicujus sustinet, simulque ipsius poëtae, contemplantis tranquillo animo, quae geruntur, suamque de his rebus sententiam sine ira et studio exponentis<sup>\*)</sup>. Unde chorus hominibus saepe constat aetate provec̄tis, quorum gravitas ex plurimarum rerum usu et experientia petita, iis, quae ad docendos admonendosque homines eorumque animos consolandos et incitandos expromunt, majorem aliquam vim addat. Virginibus autem tenerae aetatis si quando hae partes demandantur, id ad molliores sensus sub humano pectore latentes melius et aptius exprimendos factum esse, quis non videt? Nec vero mirandum his de causis, Sophoclem et qui eum sequebantur tragici, non dubitasse multa canentibus tribuere, quae in diverbiis aut jam erant dicta,

<sup>\*)</sup> Rectissime de eo et elegantissime A. W. Schlegelius in libro suo: über dram. Kunst und Literat., tom. I. haec scribit: „Der Chor ist in den vollendeten Dramen des Sophokles der personifizierte Gedanke und die Reflexion über die dargestellte Handlung, der idealisirte und symbolisirte Zuschauer, die verkörperte mit in die Darstellung aufgenommene Theilnahme des Dichters als des Sprechers der gesammten Menschheit.“

aut postea dicebantur, idque eo magis tum eos sibi licere putasse, quum actores gravius perturbatione aliqua excitati ad lyricorum metrorum sublimitatem et commotionem assurgebant.

Quae quum ita essent, chorum contentioni tragicæ aut jam ab initio interesse oportebat, aut post primam statim actionis partem in scenam prodire; neque ante exitum ei abscedere licebat, sed ultima plerumque verba facienda erant, ut stimulo gravissimo animis injecto spectatores sedati plane abirent et conciliati cum fati atrocitate. Quam perpetuam chori in scena praesentiam etiam ad veterem rerum publicarum statum referre nemo gnarus omittet. Quum enim apud illius aetatis homines, quae ad civitatem pertinebant, in loco semper publico agerentur, id etiam, si quid tragici poëtae suis aequalibus probaturi erant, in scena fieri necesse erat, licet res ibi spectarentur sub regio quondam dominatu gestae; adeo ut in omni dramatica actione aut proceres majoresque populi, aut alii quidam homines, gravitate et nobilitate conspicui, subornandi essent, qui testium arbitratorumque in regum familiis publice constitutorum loco haberentur. Tantum igitur secundum haec omnia chorus ex pristina sua natura retinuit, ut, quamvis conjunctissimus cum actione, imo ipse actor interdum esset, cujus quidem societatis in alia fabula erat alia ratio\*), interpellaret tamen contentionem aliquamdiu, sensusque proferret nobiliores ac sublimiores solutio illo dicendi genere, quod in lyricis affectibus et sollemne erat, et consentaneum est, moderatior vero plerumque et sapientior agentibus, ut qui calamitatibus eorum non obnoxius esset, et ad probitatem, justitiam, pietatem hominibus commendandam aptissimus. Nihilominus episodica, numero eorum aucto, ita inter se conjuncta erant et continua, ut, scena vel nunquam vel rarissime ab actoribus vacua relicta, actio fabulae semper procederet; neque ulla est fabularum Sophoclis, in qua non modo primas partes sustineat chorus, sed ne alteras quidem, ut apud Aeschylum, sibi commissas videat. Atque in hujus quidem poëtae fabulis, quum uno episodio finito atque histrionibus a scena digressis canticum chori aliquod longius intercineretur, mediis vero loquentium diverbiis non interserentur nisi passim lyrica carmina, Sophocles in hac re paullo aliter statuendum censuit. Saepe quidem et apud eum chori cantus episodica excipiunt, multo saepius tamen aliis quoque locis intercidunt, praesertim ubi animus rebus in scena gestis magis commotus erat. Unde Sophocleorum chororum multo major apparet varietas, quam quae ad duo illa Aeschyli chororum genera revocari possit; servata tamen ubique ea lyrici impetus moderatione, quam dialogi imprimis natura, ad pedestris orationis sobrietatem ac simplicitatem aliquanto propius accedens, quam maxime requirit. Choricorum enim carminum suorum quum eam esse vim vellet Sophocles, ut modo leniorem animi commotionem in spectatoribus exci-

\*) Hoc tragici poëtae insequentis aetatis atque ipse jam Euripides ita neglexerunt, ut chorus apud eos salva omnino actione omitti posset, quod recte ab Aristotele his verbis improbat: τὸν χορὸν δὴ ἕνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποχορητῶν, καὶ μόνον εἶναι τοῦ ὄλου καὶ συναγωνίζεσθαι, οὐχ ὡς περὶ παρὰ Εὐριπίδου, ἀλλ' ὡς περὶ παρὰ Σοφοκλέους. Cum quibus haec etiam Horatii in arte poët. inde a v. 193 conferenda sunt:

Actoris partes chorus, officiumque virile  
 Defendat; neu quid medios intercinat actus  
 Quod non proposito conducat et haereat apte:  
 Ille bonis faveatque et consilietur amicis;  
 Et regat iratos, et amet peccare timentes, cet.

talam vel sustinerent, vel auferent, modo vehementiorem paullum inibarent, vel moderarentur, in quatuor genera ea commode describi possunt. Chorus nimirum vel, incerto adhuc rerum eventu, exspectatione suspensus dubia de exitu rerum pronuntiat, vel in tantis fortunae conversionibus, quibus prima prae caeteris persona agitur, suos atque amicorum casus lamentis deplorat, vel, rebus quibusdam prosperis intercurrentibus, laetos animi sensus cantibus effundit, quos hymnos appellare licet, vel denique ex iis, quae modo in scena gesta erant, philosophicas sententias petit.

Primum quidem quum Aeschylus fabulae non ita compositae essent, ut nodus initio fabulae nexus, inde sensim sensimque solutus, in fine tandem explicaretur, chorus quoque exspectatione rerum novarum nunquam erectus, sensus excitatores apud eum prodere non potuit. Sophocles vero et Euripides, qui non simplex quoddam factum, sed continuam rerum seriem spectatorum oculis subjiciunt, iis saepe locis, quibus res in summo discrimine, incerto adhuc exitu, versatur, chori cantica inserere solent, quibus ille de rerum eventu vel dubitat, vel divinando eum assequi studet, ex vulgari quippe et antiqua illa opinione, qua quum alia, tum lyrica carmina deorum afflatu ficta putabantur. Exempla exstant in plerisque fabulis Sophocleis, ut *Electra* 472—515, *Oedip. Tyr.* 464—511, 1086—1109. *Oed. Col.* 1044—1095, ex quibus haec duo, quae ex *Oedipo* allata sunt, considerare liceat. Quamvis incertum esset adhuc *Oedipi* genus, constabat tamen, *Oedipum* in *Cithaerone* esse inventum. Qua re comperta chorus inde mox cetera plana atque aperta esse futura colligit, variasque adjicit conjecturas, *Oedipum* vel ex deo, vel ex nympha ortum esse suspicans. In altero *Oedipi Colonei* loco quum res eo progressa esset, ut *Thesei* satellites cum *Creontis* comitibus manus consererent, raptas *Oedipi* filias liberaturi, per id tempus chorus, procul a loco pugnae versans, quae animus dubia spe suspensus secum volvebat, ea strophico carmine, et in ἡμιχόριον divisus, cum *Oedipo* et sollicitis de eventu spectatoribus communicat.

Secundum genus est luctuum et lamentationum, quae frequentissimae sunt apud Sophoclem, ut *Aj.* 172—200, 596—645, 1185—1222. *Electr.* 1058—1096. *Oed. Tyr.* 151—215. *Antig.* 944—987. *Oed. Col.* 1556—1577. *Trachin.* 821—870, 947—970. *Philoct.* 169—190, 676—729. Cum enim in omnibus his fabulis inter chorum atque primas personas intima, ut jam vidimus, amicitia intercedere soleat, communes sunt laetitiae, communes dolores. Rei itaque ratio postulabat, ut luctus illi a poeta iis locis insererentur, quibus chorus, rebus modo in scena gestis, acriori affectus erat tristitia; ne tamen solis atque continuis fletibus animi languescerent magis, quam ad misericordiam excitarentur, multis modis Sophocles, quae erat ingenii ejus ubertas, threnorum argumenta variavit. Chorus itaque modo in descriptionem calamitatum excurrit, modo solatia adhibet, modo deorum opem implorat, nunquam autem, ut apud Aeschylum, querulis solum exclamationibus animi sensus effundit, nunquam genarum et comae laceratione faciem deformat. Neque carmina, quibus calamitates, in fabulae personas irruentes, describit, magis ad horrorem incutiendum, ut apud Aeschylum, quam ad misericordiam movendam composita sunt. Egregia exempla sunt illa *Oedipi Tyr.* 151 sqq. et *Philoctetis* 169 sqq. Aeschylus brevis est in iis, quae describit; picturae, quas oculis nostris objicit, externis quasi lineis tantum adumbratae sunt. Sophocles contra accuratius diligentia omnia sic descripsit, ut nihil fere, quod addi posset, relinqueret. Ad erigendos miserorum animos proponere solet exempla aliorum, qui vel graviora etiam passi sint, quo id consecutus est poeta, ut in eorum descriptionem excurrere novam carminibus materiam pararet. Sic *Antigona* l. l. *Creontis*



jussu ad supplicium crudelissimum abducta, chorus alios memorat, qui idem mortis genus subierint. Atque in hac quidem re quis non videt eam, quam supra dixi, vim et utilitatem chori maximam! Etenim ubi ille, quam ipse sentit, commotionem, carmine lyrico exprimit, sensus spectatoribus e malis primae personae oriundus admodum augetur eo, quod alios homines eorundem malorum contemplatione, pariter atque ipsos, vel etiam vehementius vident esse commotos. Similiter in primo, quod descripsimus, genere, quum ille graviora mala exponit, quae primam personam maneant, contentio-nisque summam vehementiam auguratur, intelligitur, id quam aptum sit spectatori, idem fere sentienti.

Sequitur tertium chororum genus, quod quamvis minus cum ipsa fabula cohaereat atque interdum longius etiam petitum sit, non omnino tamen ab eo alienum est, siquidem ad leniendos animi affectus quam acerrimos, sublimitatisque sensum, qui rerum antecedentium contentione excitatus erat, augendum et extollendum quam maxime valet. Aeschylus quum in hymnis suis pugnas atque bella celebrare soleret, Sophocles more hoc relicto alia hymnorum argumenta sibi sumsit. Exprimunt enim vel solos laeti animi sensus, vel in deorum laudes compositi sunt. In iis, qui ad prius genus pertinent, memorandum est imprimis insigne illud *ἐπιπύκιον*, quo chorus in Antigone v. 100 sqq., Thebis ab obsidione liberatis, victoriam modo partam celebrat. Totum tamen carmen ita compositum est, ut omnis victoriae gloria Jovi tribuatur. Carmina etiam, quibus chorus in Ajace 693 sqq., Ajace ad sanam mentem reverso, et in Trach. 205 sqq. 633 sqq., Herculis reditu nuntiato, sibi gratulatur, animi inopinatis gaudiis affecti motus egregie exprimunt. Hymnis vero in deorum honorem compositis adnumeranda sunt cantica chori in Antig. 783 sqq. et 1115 sqq., quorum alterum Amoris, alterum Bacchi laudes continet. Chorus scilicet seniorum Thebanorum Bacchum, ut deum tutelarem urbis, invocat, varia loca, in quibus cultus ejus frequentissimus erat, memorat, atque ut urbi suae adsit, precatur. Sollemne etiam erat atticis poëtis, ut urbis patriae laudes, quavis occasione oblata, celebrarent. Sic Oedipum in Colono vidimus eo potissimum consilio a poëta scriptum esse, ut civibus suis gratificaretur. Imprimis autem canticum chori 668 sqq., quo Coloni, Attici pagi, ex quo ipse poëta genus ducebat, laudes prosequitur, exemplum ejus rei exhibet; et quaecunque in laudem ejus regionis dici poterant, ea hic memorantur.

Gravissimum denique chororum genus, ut quod ad mores et vitam bene instituendam pertineret, est philosophematum. Oed. Tyr. 863—910. Ant. 332—383, 583—630. Oed. Col. 1211—1248. Trach. 497—529. Tragici nimirum poëtae non contenti, ut, quod tanquam summum sibi tragoediae finem proposuerant, vel virtutis, vel pravitatis exempla ex rebus ipsis, quae in scena agebantur, elicienda hominibus praeberent, chori quoque canticis ea saepe committunt, quae ad informandos animos ex ipsa fabula peti possunt, id quidem in his aptius fieri posse rati, quam in illis, ubi homines pro sua natura delectationem potius, quam utilitatem sequerentur. Exemplum primum exstat in Oed. Tyr. 863 sqq., ubi, quum crimina ab Oedipo, quamvis ignaro, commissa, patefacta essent, chorus inde pietatem in deos servandam esse, legibus eorum pie obtemperando, docet. Deinde in Antigone etiam 582 sqq. chorus, ubi Oedipodarum familiam inopinatis casibus subito extinctam videt, in meditationes quasdam exspatiatur, et Jovis consilia, subitis saepe calamitatibus homines opprimentis, infringi non posse, perpetuam autem felicitatem humanam sortem excedere, innuit. Neque praetermittendum est etiam chori carmen in Oedip. Col. 1211 sqq. quo poëta, ipse jam annis proventus, quum fabulam hanc componeret, Oedipi senio confecti calamitatibus expositis, senectutis incommoda

perstringit, longamque vitam hominibus non optandam esse docet. Ex hac chororum Sophocleorum delineatione, quum egregia chori tragici ad actionem ejusque vim necessitas intelligatur, ita ut cantica ejus aut res ipsas, quae geruntur, respiciant et sensus eosdem, quibus spectatores moventur, sive timorem ac spem, sive dolorem ac laetitiam significant, aut animos commotos a rerum contentione ad contemplationis tranquillitatem sevoent, aliud quid etiam accedit, quod non levioris est momenti. Chori enim carminibus intercedentibus ubi actio ipsa paullulum intermittitur, hac re optime admonentur spectatores, qui se vera videre arbitrantur, esse ficta omnia. Quod ne cui videatur fieri inconsulto et inepte. Nam si veras res coram agi putares, vel eadem sentire, sive sperares, sive metueres, quae illic videntur sentire, qui agunt: alienus plane esset animus tuus, quum ab omni oblectatione, quoniam affligeretur ille tantummodo hominis calamitosi adspectu, tum a pulchritudinis sensu, qui e tragica contentione ad spectatoris animum redundare non potest, nisi meminerit ille, totam, quam videat, rem esse fictam i. e. artis opus aliquod.

§. 13. (§. 140.)

Quae restant Sophoclis tragoediae, eas summum in arte dramatica perfectionis gradum ostendere, plenasque esse paginas omnes sapienti illa artis moderatione, venustaque simplicitate et concinnitate, qua castum illius ingenium inconstantes Atheniensium animos, spectaculorum tantum, novarum rerum, varietatis cujuslibet cupidos, subactos quodammodo tenebat, quum demonstrare nobis propositum sit, jam choro relicto, de quo satis disputatum videtur, ad ipsorum dialogorum praestantiam oculos convertamus, in qua duae omnino res diligentiore contemplatione dignae sunt, altera, quae ad mores personarum attinet, altera, quae in ipsa compositione versatur, quatenus ea ad summum tragoediae finem, ad sublimitatem una cum metu ac commiseratione in animis hominum excitandam accommodata est. Atque primum in moribus personarum ita Sophocles, Aeschylum secutus, rem instituit, ut fabulam antiquam oculis subjiceret quasi imaginem perlustrandam, qua vel tristes animi affectus nimiaque cupiditatum vis, vel virtus animique robor clare et perfecte possent cognosci. Singulae igitur, quae prodibant personae, singularum imaginum instar formas certas et definitas proponebant. Nam in mente et Aeschyli et Sophoclis insidebat species quaedam pulchritudinis eximia, cujus ad similitudinem dirigebant illi artem suam. Interest tamen id potissimum inter hunc et illum, quod Aeschylus ad ipsarum rerum magis et factorum vim tragicam studium suum applicabat exprimendam, Sophocles autem egregia cum laude etiam in moribus atque ingeniis hominum elaborabat expingendis. Quibus quas in eo genere affinxit virtutes, in iis ita illos conspirare et congruere videmus, ut paene nulla re, nisi ratione vitae, loco, tempore, fortuna, qua personae ipsae utuntur, diversae sint. Sic Philocteten et Ajacem pariter atque Electram, Antigonom et Oedipum quis non ob imperterritam illam admiretur animi constantiam, quae nullis cedit periculis et calamitatibus, sed fortiter ad exitum usque resistit! Illius vero constantiae eum modum tenuit, quo a nimia audacia et insolentia tantundem, quantum a mollitie et ambiguitate mentis differret. Nam quicquid fortiter et constanter agunt heroes Sophoclei, id quidem non ex coeca voluntate profectum videtur, sed aeterni juris officiique cogitatione innititur, pro quo fortunarum omnium, imo ipsius vitae discrimen subeundum est. Atque in his tantummodo sensibus cum voluptate acquiescit natura humana, ut qui et dignitati ipsius quam maxime convenient, neque ad terrores etiam solos spectent

injiciendos, animosque percellendos detestabili monstrorum adspectu, sed, quum intra fines nobilissimae humanitatis se contineant, mentes ita teneant et occupent, ut eae magnitudine rerum atque generositate morum tum ad admirationem abripiantur, tum ea afficiantur charitate, quae alienae salutis vehementissime cupit. Grave igitur in hoc id est, quod tales se Sophocles in suis fabulis fecisse homines dicebat, quales esse eos oporteret, Euripidem vero quales essent. Recte quidem praeclarissimus vir ad speciem quandam perfectissimorum in suo genere et excellentium animorum cogitatione comprehensam talia finxit et accommodavit ingenia, qualia neque oculis, neque auribus, neque ullo sensu percipi possunt; proprium enim id ipsum esse debet hujus poësis, ut qua nos delectet venustate ac dignitate, eam ex intimis vere animi recessibus exprimat, neque facere potuerunt plane tragici nobilioris subsellii poëtae, quum in rerum veritate et quotidiano vitae usu imbecillitatis quidem et pravitatis quam plurima haberent exempla, ultimae vero et perfectae naturae, quam desiderabant, nullum omnino reperirent, quin formas et imagines suas aut mentis acie effingerent, aut ex ea repeterent aetate, ubi perfecta omnia erant atque divina. Verumtamen neque ullus eorum, neque ipse Sophocles Aeschylea in ea re exemplaria respexit imitanda, ut quae humanam angustiam longe excederent, hominumque essent meliorum, non modo quam sunt, sed quam esse possunt, ideoque ad divinam plane praestantiam accedentium. Neque etiam quae Stoica sapientia callide excogitavit humana ingenia, ea hic reperies unquam; namque haec ne debent quidem exstare in rerum natura, quum illa sapientia, quod contra naturam est omnino, requirat, vimque omnem sentiendi, doloris sensum pariter atque voluptatis et amoris plane exuerit. Enimvero Sophocles in animo tantum habebat tales efficere homines et in medium proferre, quales esse possent ac deberent, siquidem ad naturam ejusque fines convenienter viverent. Neque igitur sensus affectuumque omnium expertes eos esse voluit, immortalium deorum instar, aeterna fruendum beatitudine, in omnibusque sibi ipsis sufficientium, neque etiam sensuum impetu ita obrutos et occoecatos, ut divina omnia humanaque permiscerent atque aeterna jura everterent; sed voluit, opinor, tales, qui, licet non inveniantur in communi hominum vita, at mente tamen fingi ac cogitari possint, in genere suo perfecti, bene gnarus nimirum, eam perfectionem in singulos homines aut nunquam, aut perraro, ut vadunt mortalium fata, cadere, attamen intra humanitatis universae legem et conditionem, qua nati et facti sumus, utique contineri. Finge igitur, ad eum revocari posse personas Sophocleas tranquillitatis ac frugalitatis statum, e quo rerum conflictu deturbatae sunt, et habebis eos omnino homines, quibuscum vivere quosque aemulari quam maxime cupias.

Id quod ex ea, quam aliquando dedimus, Sophoclearum fabularum delineatione optime intelligitur. Quosunque enim in illa personarum sylva admiratione nostra dignissimos cognovimus, eorum nemo est, quin officii aut juris aut necessitatis cogitatione aliqua animo alte infixi ad eam progressus sit praeclaritatem. Utque singulariter Sophocles mulieres colebat, atque post Phrynichi aetatem, ante quem muliebres personae nondum in scenam inductae feruntur, primus studium suum ad ingenium et mores earum appulit artis pulchritudine exprimendos, ita nobilissima, quae in fabulis suis exhibet, virtutis exempla, trium sunt feminarum regiarum, Electrae, Antigones, Deianirae. Ex quibus Electra, odio incensa inexpiabili in patris interfectores, quos ultioni dare atrocissimae in sanctissimo habebat officio, quum verendum esset, ne in audaciam eam promineret et immanitatem, quae ne ferocissimo quidem viro, nedum feminae, conveniret, mollissimos poëta addidit affectus, pie-

tatis et charitatis, ipsiusque facinoris cruenti, in quo summus fabulae finis est, horrorem eo minuit, quod apertam caedis maternae cogitationem Electra nusquam animo concipere videtur, sed Orestis consilio, voluntate deorum, suisque ipsius obscuris decretis occupetur subito et opprimatur. In Antigones moribus ne hac quidem mitigatione opus erat. Quo enim illa officio ducitur, id ad sanguinem profundendum omnino non spectat, sed ad amoris et constantiae dulcedinem ac sublimitatem adeo pertinet, ut, qui humanitatis non plane expers sit, ad eam virginalis modestiae speciem facile et cum summa voluptate assurgat. In Deianira denique etsi exemplar propositum est ingenui animi candidissimum, quod in nulla fere antiquae aetatis tragoedia reperias, non id tamen fonte caret aliquo, ad quem facilis cuilibet videatur accessus, siquidem amoris apud eam ea sit cum ardore conjuncta abstinentia, ut illum cum alio quovis communicare, quam amittere malit. Non minus vero exemplo virorum probavit Sophocles, quam egregie perspectam habuerit humanam naturam. Atque Philoctetis, tot malis per tot annos afflicti, quae in memoriam ei quotidie revocarent injuriam a ducibus Achivorum ipsi factam, obtusam fortasse exspectabas mentem, omnique sensui praeclusam nobiliori; neque abhorrent omnino mores ejus ab ea duritie et pertinacia, quae rebus iniquis ac vitae desertae adjunctae esse solent; at vel sic patriae etiamnum et amicorum amore tenetur incredibili, et ad nobilissimos proclivis est humanae naturae affectus. Mira inde nascitur rerum sibi repugnantium societas, quae quum attrahat modo studia hominum, modo avertat, ad tragicam oblectationem maxime idonea est. Itaque Philoctetes quamvis simillimus sit Aeschyli Prometheo, utriusque scilicet si spectes animum immitem atque obstinatum, magis ille tamen ad communes sensus accedit, ut qui non libidine ductus agat, sed odio flagrans inimicorum naturali, a quo fovendo ne suae ipsius quidem salutis cogitatione quisquam illo tempore se revocari passus sit. Eandem fere animi naturam Ajacis mores exhibent inimicitiae quippe ac pudoris sensu in eam adducti necessitatem, ut vivere amplius non posset; atque singularem ex iis poëtae in explicanda affectuum vehementia artem cognoscimus. Tum vero etiam quod in Aeschyli fabulis sensus politiores quam maxime offendit, quoniam ille agentium affectus ab initio non lentiores voluit, quam sub finem, id quidem Sophocles de industria vitavit; atque ut res ipsae omnino melius apud eum, intervallis temporum recte interpositis, procedunt et inter se excipiunt, ita et affectuum ea ratio est, ut non crescant et intendantur nisi paullatim. In Oedipo etiam tyranno omnium, quae agit ille, fons ac radix eo continetur officio, quod, quum patriae debeatur publicaeque saluti, nulli alii postponendum est. Urbs jam in summo versatur discrimine, atrocissimis oppressa calamitatibus; ad Laji caedem res refertur inultam, sed quis eum occiderit, in aperto non est. Mox Tiresia auctore suspicio quaedam in regem ipsum movetur gravissima; quae, tantum abest, ut Oedipum absterreat, ut novos animo ejus stimulos injiciat. Neque mirandum est hanc ob causam, imo summa laude dignum videri debet, quod occoecatus plane ab eo tempore tanta cum vehementia in originem suam inquirat. Atque superba haec securitas, dici vix potest, quantum antiquo sensui convenerit. Quicumque enim arroganter nimis confidebat integritate sua atque innocentia, eum par erat scelus aliquod nefarium commisisse. Accedit denique etiam, quod animo regis alte jam a puero insederat cupiditas, generis obscuritatem illustrandi; id quod, non minus, quam caetera, ex artis quadam praestantia derivandum est. Est enim poëtae nostri, quae extra ordinem fieri videntur in hominum vita, majoremque omnino requirunt animi generositatem, quam quae in humanam naturam cadere possit, ea non solum, ex fonte quo-

dam naturali deducere, sed etiam impetum aliquem adjungere, quo quisque ad ipsam officii acerbilitatem superandam vel sua sponte feratur, quoque libera quaevis voluntas ad summa omnino perficienda mirum quantum adjuvetur. Praeter Oedipi illud exemplum plura etiam in promptu sunt, ut praestantissimarum virginum Electrae atque Antigones, quarum illa quidem contumeliis acerbissimis ab adulteris sibi illatis, haec vero et contemptu vitae, tot calamitatibus afflictae, et mira quadam in fratrem caesum charitate movetur. Sed quum haec ad solas primarum partium personas spectent, tamen secundi ordinis mores non negligendi sunt. Ex quibus eos excipio, quos tragicorum quasi religio quaedam induxit, licet nihil ad ipsam actionem facerent. Cum enim in antiquis narrationibus nomen aliquod constanti commemoratione conjunctum cum heroe suo invenirent, id in fabulis suis non omittendum censuerunt. Itaque et Aeschylus in Choephoris et Sophocles in Electra fabula cum Oreste Pyladem induxit, quanquam is apud illum tres tantum versus, apud hunc nihil loquitur. Sed in omnibus fabulis sunt praeter hos, quorum ad actionem multo major sit vis. In his etiam, quanta sit ars et dulcedo Sophoclea, cernitur. Quibus quum neque id dandum esset, ut gravitatem protagonistarum imminerent, neque etiam, ut mutae tantummodo personae essent, eam iis poeta detrahit granditatem et sublimitatem, quibus heroes tantum excellere voluit, sed clementiae, mansuetudinis, honestatis gratias eos instruxit. Argumento esse possunt prae ceteris Ismenes in Antigone, Chrysothemidis in Electra fabula mores. Quarum neutra quidem ea est animi magnitudine, ut insolita moliri, summae rerum discrimina subire audeant, sed studii, amoris, pietatis plenissimae sunt et commiseratione, lamentis lacrimisve si quid unquam effici posset, ab iis certe efficeretur. Non minore existimatione Neoptolemi mores in Philoctete fabula digni sunt. Is enim quanquam immodica gloriae cupidine ductus a dolis miserrimo homini struendis non abstinet, mox tamen ad eam, qua conspicuus est, probitatem et ingenuitatem reversus mire hominum studia sibi conciliat. Quibus virtutibus Sophocleis si addas id, quod ad communem quasi dramaticae poesis legem pertinet, neque ab arte ullo modo abesse potest, ita semper suas adornasse personas Sophoclem, ut ad consilium, quo essent inducti, et ad temporis, loci, affectuumque rationes apte et dicerent omnia et agerent, ea profecto virtutum exemplaria apud Sophoclem existisse non mirabimur, quae non solum admiratione intuentium animos implerent, sed etiam eam in egregiorum virorum pectore flammam excitarent, quae rerum gestarum memoria in dies cresceret, neque prius sedaretur, quam ipsorum virtus ostentatam heroum virtutem adaequavisset. Neque tamen dissimulavisse Sophoclem et qui eum sequebantur humanae naturae imbecillitatem, putandum est; imo saepius de ea conqueruntur, exempla quoque haud pauca quidem vehementissimarum perturbationum summaeque animi pravitatis oculis nostris obtundunt. At vero haec omnia ita comparata sunt, ut absit contemptus causa, multoque amplior misericordiae detur locus. Ipsa scelera in personis, quas finxerunt, nescio quid divinum spirant, quia ex invidia deorum dicuntur fere profecta esse, aut ex parentum delictis orta; itaque poesi tanquam igni piaculari purgabantur animae. Splendidissimum ejus rei exemplum in Electra fabula Clytaemnestram habemus, cujus mores eximia arte adumbrati sunt. Vehementioribus enim affectibus sicuti semper aliquid additur, quo minus ii sensum honestatis offendant, ita et Clytaemnestrae ira metu minuitur, neque id mulierem ita detestabilem esse sinit, ut ab ea omnis omnino humanitas plane abhorreat. Id quidem quam maxime apparet in eo loco, quo ab Electra incusata suam causam defendit; incredibilem hic produnt temperantiam, quaecunque illa loquitur, et

ad summam animus componitur tranquillitatem, nocturnis quippe somniis perterrefactus. Vel tum, ubi nuntium de Orestis morte accepit, modeste utitur animi laetitia; neque haec prius erumpit, quam certamine defuncta est nobilissimo cum materna in filium charitate inextincta.

Denique in hac re ne omittas quaeso, quantum ab hac Sophoclea verecundia caeteri, Euripides maxime, discrepauerint. Cui tum id recte vitio vertitur, quod, ubicunque id fieri poterat, dulciculas sententias inspergens εἰς τὴν παυλίαν, quam Graeci vocant, ad taedium usque delapsus sit, heroesque interdum induxerit, philosophicas magis doctrinas quasdam defendentes, quam, ut debebant, ad virtutis imitationem provocantes; tum vero maxime eo nomine ille accusandus videtur, quod nonnullarum personarum mores tam foedos ac detestabiles fecit, ut nemo bene moratus eos adspiciens erubescere non possit.

§. 14. (§. 141.)

Jam ad compositionis artem, qua tantopere excelluit Sophocles, transeundum est, ut, quid ille in delectu fabulae, in excogitandis rebus, in actione ad tragicum finem disponenda valuerit, intelligatur. Effectus enim tragicus, quem vocant, duplex omnino est; alter ad ipsam fabulam ejusque inventionem pertinet, alter in actionis contentione cernitur. Atque rudi adhuc literarum artiumque cultu ad illam magis studia hominum se convertunt; politior vero aetas ex hac omnem sibi vim petit. Neutram vero ars Sophoclea respuit, utque rerum horrendarum terrores sapienter mitigat atque emollit, ita compositionem etiam earum eam esse voluit, ut ad continuam animi commotionem, ex humanae vanitatis ac fragilitatis contemplatione atque infinitae potentiae veneratione oriendam omnis actio crescentibus paullatim fortunae ictibus feratur. Unde fabulas suas Sophocles eodem modo, quo Aeschylus, ex earum rerum cyclo seligit, in quibus fati necessitas cum humanarum virium mediocritate decertans conspicitur. Sic Ajaxis, ense cruento ferocientis, superbi spiritus tum maxime, renitente scilicet Minerva, franguntur et eluduntur, ubi inimicorum conatibus superior tandem factus sibi visus est. Clytaemnestra cum adultero suo mortem eo ipso temporis momento oppetunt, quo flagitiorum fructus se percepturos sperant; atque Creon, auribus ad justitiae, rationis, humanitatisque vocem obtusis, crudeli deorum consilio ad seram poenitentiam adducitur. Oedipi denique exemplo docetur, omnem humani generis sapientiam ac prudentiam inanem esse, si quis se aeternam necessitatem effugere posse putet. Quae inde proficiscitur sublimitas cum metu conjuncta, eam, quum fundamentum esset tragoediae antiquae, Sophocles summa sollertia in usus suos convertit; neque quisquam omnino aeternam fati necessitatem, felici ingenio conceptam, aptius fabulis suis intertextuit, magisque cum humana dignitate conciliavit.

§. 15. (§. 142.)

Qui quum videret, magnas calamitates subito ingruentes instar fragoris sereno coelo intonantis animos nimio nec jucundo terrore percutere, ea usus est in arte sua modestia, ut novis rerum conversionibus, casuumque varietatibus inventis non solum delectaret animos sed etiam ad gravissima quaeque et atrocissima accipienda apte praepararet. Atque has fortunae vicissitudines, rerumque in contrarios saepe inexpectatosque eventus mutationes, περιπέτειας, extremam vero ipsam, ad quam animi praeparandi essent, calamitatem καταστροφήν grammatici vocarunt. Etsi jam Aeschylus ea

artis tragicae lenocinia, ut quibus summus tragoediae finis, sublimitas, maxime adjuvaretur, haud plane neglexit, nemini tamen rectius ea exulta et ad summam artis perfectionem redacta attribuas, quam Sophocli, tragicorum praeclarissimo. Pedetentim ille et circumspecte ad extremas rerum conversiones spectatores suos adducit; multi implicantur nodi, antequam ultimus omnium solvatur, et *καταστροφή* ipsa si inciderit, ea omnibus apparet, quae neque evitari potuerit, et ad magnos sublimesque sensus excitandos quam maxime fuerit necessaria. In Ajace igitur, Oedipo Coloneo, Philoctete sicuti actionem simplicissimam invenias, quum in his fabulis, animus nulla omnino ad extremam rerum conversionem praeparatione indigeat, ita in Electra, maxime vero Oedipo Rege summa ars ad actionem impediendam et intricandam adhibita est. Magnum sane et arduum negotium, regem potentia et opibus florentem ad infimam miserrimamque vitae condicionem deprimi; magis tamen id admirare, quod spectatoribus, per tot rerum ambages ad istam extremitatem perductis nihil accidere videatur, quod non praesenserit pridem animus eorum et praesagierit.

§. 16. (§. 143.)

Haec ipsa vero actionis implicandae et explicandae varietas, quae maxime suspensos habet animos, in quibusnam potissimum rebus posita sit apud Sophoclem, quaerere, haud alienum videtur. Atque primum quidem commiserationem suis heroibus movet, ubicunque id fieri potest, interdum etiam, quum ea moribus eorum quam maxime repugnare videtur; eamque calamitate aliqua, in oculos etiam cadente, augere studet. Oedipus maleficiorum, quamvis contra voluntatem commissorum, conscientia oppressus oculos sibi ipse perfodit, atque exsul in peregrina terra oberrans, omni vitae praesidio, nisi quod in filia comitante habet, plane destitutus, id tantum agit, ut habeat, ubi paullulum ex tot tantisque calamitatibus requiescat, extremumque vitae spiritum efflare possit. Movetur igitur animi non solum, quod timent, ne sacris dearum penetralibus, in quae sero tandem receptus est miserrimus homo, eripiatur violentia animi invicta, sed etiam, quod eum senectute trepidantem, oculis orbatum, omniumque rerum inopia laborantem videmus. Ajax vero inimicis suis invalidae ridiculaeque insaniae specimen exhibens ab iis tum maxime irridetur, ubi se merita eos poena affecisse putat. Electra porro cum interfectoribus patris, quem perpetuo luctu prosequitur, idem tectum subire coacta turpissimis quotidie contumeliis vexatur, magnaue rerum vel maxime necessariorum penuria affligitur. Hercules usque adhuc invictus dolosa tandem mulieris inscitia occumbit, miserrimumque spectatoribus atrocissimorum cruciatuum spectaculum praebet. Philoctetes denique, foedissimi vulneris sanie offusus, in insula deserta vitam agit omni auxilio, omni solatio carentem; neque sane apud ullum poetam invenitur, quod vehementius hominum animos tangere possit, quam perpetuus ille saevissimorum dolorum aspectus, quibus remedium nullum, neque divinum neque humanum, existit. Sed et hic ne quis animo praetermittat velim, quanta cura et diligentia Sophocles usus sit ad nimiam doloris vim temperandam, ne illa scilicet pulcri venustique modum excederet. In gravissimis enim malis et calamitatibus ea cernitur usquequaque animi fortitudo et constantia, quae ut magnos vere deceat generososque homines, ita opprimi quidem possit rerum adversarum mole, exstingui non possit, sed remittente paullulum vi infesta novos spiritus capiat atque iterum iterumque erumpat. Philoctetes igitur, quamvis morbi ingruentis tormenta ferri vix possint, animo tamen invicto in antrum regreditur et miserrime mori, quam voluntati inimicorum cedere mavult.

Ipsæ Oedipus, senio atque aegritudine confectus, nec precibus nec minis moveri potest, et intrepide in capto consilio perstat. Hercules acutissimas primo edit vociferationes; deinde vero, ubi ex comparatis oraculorum vocibus divinam intellexit voluntatem, tranquillo hilarique animo caput ad lectum reclinat, aeternae se daturus quieti. Itaque omnes, quos in medium profert ars Sophoclea, heroes sortis quidem humanae non sunt expertes, sensusque produnt quoslibet vere humanos; at vero a molliæ muliebri tantundem absunt, quantum a turpi ostentatione, omnibusque suis actionibus notam habent impressam veritatis, sinceritatis, magnitudinis.

§. 17. (§. 144.)

Deinde vero Sophocles has ipsas, quibus premuntur agentium personae, calamitates, consilique, qua laborant, inopiam cumulandi procedente actione et augendi peritissimus est; idque in rerum conversionibus illis, quas *περιπετείαι* vocavimus, quam maxime fieri patet, ut quibus ille magis et saepius, quam caeteri antiquorum poëtae, utatur. Veluti Philoctetis miserrima conditio ita ante oculos ponitur, ut non solum lamenta et vociferationes ejus animos vehementissime tangant, sed etiam ex novis doloribus, quos Ulyssis Neoptolemiæque machinationes ei creant, multo major ejus commiseratio exoritur. Sic Jocasta in Oedipo tyranno, quum nuntio de Polybi, qui Oedipi pater esse putabatur, morte accepto, vanitatem oraculorum marito moestitia affecto persuaderi jam posse confideret, non vidit, hac ipsa re in lucem et vulgus edi, quod atrocissimum erat auditu, oraculorumque fidem quam maxime confirmabat. In Trachiniis etiam curarum omnium sollicitudinumque finis jam initio fabulae adesse videtur; certior enim facta est Deianira de Herculis post multos labores peractos incolumitate, spemque concepit gratissimam, fore ut mox in patriam rediret maritus sibi dilectissimus; tollit vero omnem statim animi laetitiam captivæ cujusdam mulieris adspectus, moerorisque miseræ reginae uberrimum fontem aperit. Similis est in Ajace affectuum mutatio, ubi chorus simulata viri fortissimi aequitate et tranquillitate deceptus in laetissimas erumpit acclamationes, quas tamen continuo tristissimæ mortis indicia irritas reddunt. Magnæ vero imprimis et admirabiles sunt rerum conversiones in Electra fabula, neque alibi ita ad summam modo laetitiam attolluntur animi, modo ad infimam moestitiam dejiciuntur. Atque fastigium omnino artis tragicæ in fine potissimum hujus fabulae omnes sibi invenisse visi sunt. Namque animi sicuti Aegisthi morte salubrem in modum percipiuntur et cohorrescunt, ita etiam ad aeternæ justitiæ, quæ superbiae vanitatem ostendit, sublimiorem sensum quam aptissime evehuntur.

§. 18. (§. 145.)

Ultimum denique Sophoclis artificium in eo cernitur, quod tragicam tristitiam et commovet ubique et ad exitum usque conservare studet, suntque illæ poëtae expositiones eo nomine quam maxime laudandæ, præstantissimæque in suo genere rectissime habentur, non solum, quo consilio eae fiunt, si quis respiciat, sed etiam, quomodo ad tragicam universæ fabulae speciem ac colorem se habeant. Animum eae ab initio ita afficiunt, ut par est et cum totius operis compositione convenit, atque tristem rerum eventum dum tempestatis instar cum atris nubibus fulminibusque imminenti e longinquo significant ac portendunt quasi, eam alacritatem sensuum expectationisque afferunt, qua ad sublimitatem imis præcordiis imbibendam magis magisque opus est. Exempla hujus



rei quaerentibus occurrunt omnium artis studiosorum tum antiquae, tum recentioris aetatis de prima Oedipi tyranni fabulae scena testimonia, in summa ejus laude conspirantia. Nam ille ipse, qui ceteris opibus, auctoritate, fortuna longe antecellit, in quo uno supplicantium omnium, qui gravissimis malis afflicti altaria circumstant, et oculi defixi et spes ultimae repositae sunt, hic mox miserimus omnium atrocissima necessitate, quamquam invicto animo, occubiturus est. Artificium non minus admirabile, ad tragicum quippe effectum validissimum, in Ajacis expositione ostenditur, ubi poeta aliis quidem rationibus, se ipso vero ingenioque suo dignissimis, animos commovere studet. Omitto ceteras tragoedias, iisdem virtutibus praeclaras, et intervalla quoque actionis, in quibus tragica illa moestitia summa arte continuatur, paululum respicienda puto. In iis est locus quidam Trachiniarum, quem antea jam attigimus, praestantissimus. Ibi enim exhilaratis laetissimo nuntio animis, captivarum mulierum adspectus rerum statim humanarum fragilitatem et vanitatem in memoriam vocat, atque haec agitans regina, oculis ad supera loca defixis, similem servitutis fortunam sibi suisque liberis etiam atque etiam deprecatur. Hanc vero doloris ac moestitiae significationem, quae et Deianirae moribus, et rebus, quae aguntur, quam maxime convenit, quis non videt, duplici omnino consilio inventam esse, tum, ut laetitiae lux subito emicans opacetur paululum et obumbretur, quo magis ea cum tragica caeterarum partium severitate congruat, tum ut melius procedat actio et fila ad veri magis speciem attaxantur, ex quibus nodus coalescat arcuissimus et jucundissimus. Etiam in Philoctetis hilaritate, quam ex salute proxime instante percipit, inest doloris aliquid, quum eam per insidias ipsi structas vanam esse et mox in lamenta desituram, nemo non videat. Simili de causa et propter res gravissimas inde consequuturas Orestis Electraeque inter se revisentium affectus tenerrimi quidem sunt, sed tragici imprimis, et moeroris plenissimi. Eandem denique laetitiae temperationem etiam in levioribus momentis observare licet. Homo ille in Antigona fabula, qui primus ad Creontem, sepultum esse Polynicem, detulerat, infensum sibi herum et minas accumulantem viderat. Jam vero detecto auctore laetus redit idem et recuperata gaudet regis clementia; sed fortunam reputans virginis regiae miserissimam, non potest non ad summam simul animi tristitiam et misericordiam deprimi.

§. 19. (§. 146.)

In his omnibus autem, quae adhuc explicavimus, Sophoclei ingenii apertissima esse indicia ejus imprimis sapientiae ac moderationis, quae oriri non potest nisi ex virium felicissima quadam aequabilitate, vix est quod addam; cumque in sensuum acerbitate et vehementia exprimenda nulli secundus esset poeta, tanta tamen, tamque eximia illa erat animi lenitas, ut ad nullas res magis studia sua appelleret, quam quae singulari quadam suavitate et dulcedine spectatorum animos delentire possent. Neque igitur acerbam Aeschyli severitatem probabat Sophocles, qua ille deos, ut in Prometheus, crudelissimos fecit tyrannos, neque Euripidis imitari volebat levitatem, qua in Hippolyto deas Dianam et Venerem contra quam fert divina natura induxit turpissimas et injustissimas; sed quum ubique deos impietatis ultores severos faciat, tamen eosdem justos, benevolos generi humano, et placabiles esse demonstrat, nosque, modo eorum et naturae legibus quae debentur tribuamus, facile ab iis impunitatem assequi et felicitatem docet. Jam saepius etiam in eo humanitatem vel aequitatem poetae nostri laudavimus, quod si cui personae, ceterum non malae, totius consilii sui

coactus ratione, aut partes odiosiores tribuisset, aut calamitates inflixisset graviores, unum aliquod vitium, vel errorem aliquem gravius punitum ostendens, alias virtutes ejus debito ornare praeconio, et, sive laudatione aliqua, sive alio modo, quasi reconciliare ei spectatorum gratiam et compensare mala studuit. Neque egregiae huic humanitati, quam vel Aristophanes, qui neminem facile non carpsit, cum honoris notatione aliqua extulit, laudis quidquam detractum volet, qui Ajacis meminerit in scena pereuntis. Etenim licet jure Aeschylum, ut vidimus, etiam in eo laudaverint veteres, quod caedes ab scena removit, non tamen utique reprehendendi sunt, qui ab eo instituto quandoque discesserunt. Imo quid ipse Aeschylus de cruentis illis senserit spectaculis, ex Prometheo ejus fabula cognoscimus; in qua hic vir crudeliter sane et ante oculos spectatorum ad saxum affigitur. Scilicet licere talia et ille putavit et nos putamus omnes, ubi ex totius fabulae ratione atque institutione sunt necessaria. Ajax autem non potuit se extra scenam interimere, quin aut ad frigidam narrationem res omnis recideret, aut verisimilitudine plane destitueretur. Sed quid multa? Intelligent periti, Sophoclem ex omni ratione sua propterea Ajacem in scena fecisse pereuntem, ut viderent homines oculis suis vel ipsius herois maximi exitus tristitiam, vel sociorum et Tecmessae et Teucri desperationem, vel denique Atridarum in eum virum atrocem superbiam, quem, dum vivebat, ne verbo quidem violassent impuniti. Multo majorem laudem eam ob causam mereri noster videtur, quod, licet ejus fabularum ratio ab Aeschylli illa simplicitate et granditate mirum quantum sit diversa, ab ea tamen indignitate longe ejus sapientia refugit, quae artem nobilissimam in domesticae vitae tenuitatem deducere studet; quae res quam putida sit, sensumque pulcri honestique offendat, Euripidis fabularum pars magna docet, incestuum, amoris perturbationum, domesticae non modo infelicitatis sed etiam miseriae plenissima.

Similem denique moderationem etiam in exitu fabularum observare licet. Sophocles enim et Aeschylus non tam id egerunt, ut in exitu fabularum commotionem terroremque, quantum possent, maximum excitarent, quam ut has et similes moderarentur perturbationes, sapientique monitione aliqua, quid maxime petendum fugiendumve esset, spectatoribus significarent. Mirari hanc moderationem recentiores poëtae solent, qui terroris et commotionis plurimum fere in extremis fabulis cumulant; veteres autem, ut diximus, in hoc aliam sequebantur rationem et ea erat apud eos trilogiarum omnino et singularum tragoediarum natura, ut, quum commovere quidem cives suos timore et miseratione vellent, simul eos erigere, atque, virtutis vitiorumque gravibus propositis exemplis, ipsa ea moderari, in extremo vero totius fabulae exitu animos nostros deorum vel fati asperitati reconciliare studerent; quod quidem qua via sectati sint poëtae, propter deperdita dramata et obscuram nonnullorum rationem saepe difficilius est cognoscere.

#### §. 20. (§. 147.)

Atque cum illa, quam ostendimus, temperantia et humanitate tanta erat in Sophocle divinarum rerum reverentia conjuncta, ut justa fuerit et facile probata omnibus laudatio, si quis illum, quot superstites sint ejus tragoediae, tot pietati quasi sacerdotem castissimum sacra fecisse dixerit. Ut igitur diis non fere tribuit, quae fieri per homines possunt, ab ea abhorrens quam maxime temeritate, quae deos ex machina, quos vocant, adesse jubet, ita, quae in vita humana ad fortunam plerumque casumque caecum referri solent, ea in fabulis suis fere sic adornavit, ut in iis quoque

deorum numen et voluntas conspiceretur. Eandem ob causam oraculorum maxime sanctitatem commendavit, quum in aliis suis fabulis, tum in Oedipo Rege; eo enim tempore, quo hanc fabulam edebat, quum plurima Athenis oracula ferrentur, gravi Oedipi exemplo demonstrare civibus voluit, deorum oracula et verissima esse, et, sicubi contempta fuerint, homines poenas dare acerbissimas. Similiter Aeschylus quoque id tantum agebat, ut pios animi sensus proderet sine fuco, mentesque hominum in modesto deorum cultu, quantum posset, retineret ac confirmaret. Neque est sane, quod tantis virtutibus Aeschylum Sophocle inferiorem fuisse miremur. Ut faceam enim diversam ingeniorum naturam, maxime etiam poëtae inter se differebant ratione, quae iis cum republica et civibus intercedebat. Cum Aeschylus sibi pugnandum pro vetere Solonis disciplina et fortitudinem in civibus strenuamque virtutem excitandam esse censisset, Sophocles, qui juvenis nec proeliorum nec civilis dissidii contentionibus interfuisset, sed ipsos fructus illorum, gratissimarum victoriarum laetitiam percepisset, in omni et vita et arte sua non tam acriter ea impugnabat, quae mala et rejicienda esse viderentur, quam studiose commendabat omnia, quaecunque pia, justa, moderata deorum hominumque voluntate vitam reddere tranquillam et felicem possent. Atque sicut in omnibus Sophocles medium inter Aeschylum et Euripidem quasi cursum tenuit, ita magnam gloriae suae partem eo esse meritis videtur, quod neque, ut hic, artem suam a rei publicae rationibus plane sejunxit, frivolisque vulgi studiis accommodavit, neque ut ille, eam ad singula civitatis instituta adhibuit sive commendanda sive impugnanda; verum in eo se contulit loco, in quo tum civium usui dignissime inserviret, tum artem suam ad pulchritudinis perfectam speciem praeclarissime conformaret; et si quid istius generis in fabulas suas ingessit, ut Coloni, ubi natus erat, amplificationem, atticaeque generositatis ac fortitudinis in Palladis ac Thesei exemplis adumbrationem, id tam leniter et subobscurum factum est, ut neminem facile offendere posset, imo ad voluptatem spectatorum quam plurimum conferret. Quae omnia quum ita sint, efficitur, ut non immerito praestantissimum tragicorum poëtarum Sophoclem omnium temporum eruditi duxerint, talemque virum in operibus ejus videre sibi visi sint, qualem nulla aetas unquam ante eum vidisset, grandem sublimemque sine tumore ac superbia, terribilem sine molestia et taedio, mitem tranquillumque sine mollitie, verbo ea animi indole instructum, ut, vel gravissimis calamitatibus propositis, non minus ad sensum magnitudinis et generositatis attollat animos et excitet, quam ad tristitiam commiserationemque dejiciat, omniumque, qui unquam vixerunt, artis peritorum studia sententiarum ubertate, dignitate, concinnitate, venusta imaginum audacia, apta comparationum veritate, conciso denique loquendi genere mirum in modum attrahat et occupet. Sed, quod modo attigimus, loquendi genus, id non hac una tantum excellit virtute; sed gravis illa et magna asperaque simplicitas, quae in Aeschyli oratione conspicua est, ad nimium illa interdum inanemque verborum strepitum tumoremque delapsa, eoque sublimitatem quaerens, quam rem etiam Euripides apud Aristoph. Ran. 939 sqq. feliciter se evitasse gloriatur, ita est ab Sophocle temperata, ut is docta potius atque artificiosa dictione, novaque verborum structura poësin a vulgari sermone distinguendam putaret. Nec mirum, quum ubique videamus homines, ubi simplicitate satia sunt, quae in omni re tempore prima est, artificiosiora quaerere. Sed haec admodum periculosa via est, quia difficile est, modum tenere: unde fere, quae docta videri vult oratio, in molestam quandam implicationem atque intricacionem vertit, ex qua interdum difficile est eruere, quid senserit scriptor. In illo igitur fastigio Sophocles orationem suam constituit, ut, licet interdum jam in illam partem

inclinat, quae propior est vitio, perraro tamen ea labore obscuritate, quae cum Aeschylei sermonis indole conjunctissima est. Verum optimi in suo genere poëtae ut est, orationem accommodare locis, temporibus, personis, ita temperantiae illius, quam Sophocles summam sibi dicendi legem praescripsit, verum ac naturalem fontem in rebus ipsis esse par erat, neque, quae gigantea Aeschylei monstra decebat oratio, ea in Sophoclem cadere poterat, ut qui, quum ad nobiliorem quandam naturae effigiem animo suo obversantem omnia sua depingeret, ita ad hanc etiam temperatam naturam sermonem suum diligentissime adstringeret, suosque heroes id potissimum loquentes induceret, quod cujusque naturae et indoli conveniebat. Verumtamen nihil impediēbat hoc ipsum, quo minus ad eam assurgeret oratio ejus vim et alacritatem, tamque honestam sibi adscisceret sublimitatem, tam pressam ubertatem, ut cum lato eam ingentique flumine comparare possis, in mare tranquillo gressu illapso. Quod quum alienissimum videret Euripides ab Aeschylei extuberantia, cujus oratio torrentis instar fluebat, ex praealtis rupibus cum fremitu et spuma aestuantis, ipse tamen adeo rem auxit et in deterius vertit, ut saepissime male garrulus, ineptus et absonus videretur. Verum ad tantam orationis dignitatem, quam in Sophocle observavimus, summa etiam accedebat elegantia, aequabilitas et dulcedo, quam ex assiduo verborum, homericorum etiam, delectu oriundam tantis laudibus antiqui extulerunt, ut hanc maxime ob causam poëtam clarissimum apud atticam nomine insignirent.\*) Sed est modus in rebus, neque et hic, quod nimium est, molestiam creare non potest. Id quod iterum Euripidis docemur exemplo, qui cultum orationis hic illic immodice captans in molliem et luxuriam abiit, utque singula niteant, a fine saepe totius operis et a statu dignitatis sane aberrat. Quae orationis lenocinia, et a nostris saepe quaesita, non admodum curavit Sophocles, ut qui magis ad commovendos, alendos, confirmandos animos artem dirigebat suam, quam ad oculorum aciem inani lepore praestringendam; itaque et hic eum tenuit modum, ut, quum nihil cumularet praeter necessitatem, nihil etiam ornaret, nisi ubi major persuadendi aut delectandi vis desiderabatur, ideoque omne orationis sententiarumque flumen intra pulchri honestique fines sedulo semper contineret. Unde verae et infucatae eloquentiae, puriorisque atticam dictionis studium ex Sophocleis operibus haud tenuia cepit incrementa; neque ulla magis hoc nomine laudanda est fabula, quam quae Ajax inseribitur. Eam immerito quidem caeteris inferiorem nonnulli judicaverunt; imo est in praestantissimis ob ejus ipsius, quam diximus, eloquentiae graecae splendidissima documenta, cujus hic ex tam brevi tempore progressus optime observare possis. Veluti Ajacis ipsius oratio, qua circumstantium animos ad falsam de se spem inducturus est, v. 666—683, rhetoricae artis tam plena est, ut ea non possint non hominum studia dulcissime excitari. Atque Teucris etiam, Menelai, Agamemnonis de corpore Ajacis sepellendo disceptationes illae tales sunt, insignes quippe dialecticis virtutibus, quales apud Aeschylum caeterosque vel maxime desideres. Metricas denique virtutes, rhythmorumque cultum, quibus Sophocles nimiam quandam operam dedit, si cum illis omnibus conferas, quae de Sophocleae Musae praestantia disputavimus, adeo poëtam de arte sua meruisse dices, ut primus tragicorum non immerito haberetur, omniumque aetatum admirationem, eruditissimorumque hominum studia facile in se converteret.

\*) Has virtutes quum alii complures celebrarunt, tum J. de Müller in libro: *Allgem. Gesch.* I p. 21. haec dicens: *Es ist nicht möglich, die schönste Sprache der Menschen edler zu benutzen, als Sophocles, oder Würde und Anmuth herrlicher, als er, zu vereinen.*